



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

EXERCITIA || SPIRITVALIA || IGNATII DE || Loyola.||

Ignacio <de Loyola>

Mogvntiae, 1600

VD16 I 56

Annotationes aliquæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45165

minus, consolandi suos, officio, adhibita consolationis, quæ ab amicissimo quopiam præstari potest, similitudine.

Colloquio vno, vel pluribus, iuxta materiam faciendis, terminetur contemplatio, cum Pater noster.

Notandum porro: quod in sequentibus contemplationibus, seu exercitiis, recensenda erunt per ordinem, mysteria omnia Resurrectionis, Ascensionisq; & quæ sunt intermedia, seruatis vbiq; iisdem formulis, & modis: sicuti per totam illam hebdomadam factum est, in qua passionis mysteria contemplati sumus. & iuxta in modum ac exemplum primæ huius de Resurrectione Domini meditationis, formandæ sunt sequentes omnes, atque regulandæ, tam in præludiis (nisi quod hæc rebus sunt accommodanda) quam in punctis quinque, & additionibus singulis.

Pari etiam ratione circa repetitiones, & sensuum operationes, nec nō in augendo, minuendoue exercitiorum, secundum mysteria, numero, dirigi poterimus, sicut in prædicta meditandæ CHRISTI passionis hebdomada fuimus edocti.

Secundò notandum est: conuenire magis quartæ huic hebdomadæ, quam præcedentibus, ut quatuor duntaxat fiant exercitia. Primum, postquam mane surreximus: Secundum, circa Missæ tempus, vel paulo ante prandium prioris repetitionis loco: Tertium, hora vesperarum, pro secunda repetitione: Quartum, ante cœnam, admotis sensuum officiis, ad imprimendas fortius animæ contemplationes tres eo die factas; signatis obiter, & penitus tractatis partibus, seu locis illis, in quibus motus animi efficaciores, maioremque gustum spiritualem senserimus.

Ter-

Tertiò: quòd quamuis ei, qui exercitatur, certus præscribatur numerus punctorum; puta ternarius, aut quinarius, liberum tamen ipsi edit in plura vel pauciora puncta redigere contemplationem, prout commodius se habere expertus fuerit. Quia in re magnopere iuuabit, ante ingressum exercitij, tractanda puncta comininisci, & numero certo præfinire.

Quartò denique notandum est: quod per quartam hanc hebdomadam, variari debent secunda, sexta, septima, & decima additiones. In secunda quidem, ut dum euigilo, repente mihi ponam ob oculos statutam contemplationem, & de gaudio Domini cum suis, studeam & ipse exhilarescere. In sexta vero: ut memoriæ meæ obiiciam ea, quæ lætitiam spiritualem cident, ut cogitatio de gloria. In septima, ut lucis & cœli

vtar commoditate, quæ sese offeret: puta per tempus vernum, herbarum virentium & florum aspectu, aut a prici loci amœnitate: per hyemem vero solis, vel ignis opportuno calore: & ita de cæteris corporis, atq; animi oblationibus congruis, per quas Creatori & Redemptori meo, congaudere queam. In decima, vt loco pœnitentiæ, temperantia & mediocritate victus contentus sim, nisi quo tempore iejuniū, vel abstinentiam Ecclesia indixit, cuius præceptis semper obtemperandum est, nisi iustum adsit impedimentum.

*CONTEMPLATIO, AD
amorem spiritualem in nobis ex-
citandum.*

IN primis duo notanda sunt: Primum, quod amor ipse ab operibus imagis, quam à verbis pendet. Secundum: quod cōsistit amor in mutua facultatum, rerum & operum

com-